NONNULLA
DE
ULCERE VENTRICULI ROTUNDO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

SCRIPSIT

ET DIE X. M. IUNII A. D. MDCCCLXIV.

HORA XII.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOSEPHUS KRAMPS

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT.

FERD. BEYER, CAND. MED.

EDM. EICHELBERG, STUD. MED.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

VIRIS CARISSIMIS

PRAECEPTORI SUO PRIMO

OPTIME DE SE MERITO

JOH. HEINR. SCHOOFS

ET

PATRUO DILECTISSIMO

HEINRICO KRAMPS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Per quae vivimus et sani sumus, per eadem etiam aegrotamus. Haec vox Hippocratis, principis et parentis medicinae, profecto ad nullum corporis organon tam recte adhiberi potest, quam ad ventriculum. Qui quidem, ut vitae humanae caussas et conditiones necessarias continet, ut quodammodo thesaurum et receptaculum efficit ac repraesentat, ex quo nostri corporis organismo quibus opus est adducantur, ita etiam persaepe varias morborum caussas affert. Nec tamen hoc libello mihi propositum est, ut demonstrem, quinam morbi perturbatis eius functionibus exoriantur, sed e numero multorum morborum, quibus afflictari solet, unum tantum pervestigemus, qui propter frequentiam suam et pessimos effectus multis hominibus vitam imbecillam atque caducam, ita ut diu ac lente emoriantur, saepe etiam repentinam mortem concitat, dicimus quippe ulcus ventriculi rotundum sive simplex. Qua de re etsi multi et clari viri multa exposuerunt, tamen, quoniam optanti mihi contigit, ut benevolentia Ill. Weber, qui quidem

actis sectionum in clinico instituto asservatis ad libellum conscribendum uti benigne mihi permisit, et doctissimi Mordtmann, qui mecum communicavit quae ipse hoc de capite expertus erat, denique mea ipsius observatione in policlinico Halensi complures huiusce morbi casus colligerem, breviter hoc libello exponere placet, quae hic reperire potuimus, atque in casibus maxime singularibus morbi historias vel acta sectionis adiungere.

Hisce usus sum libris.

1. Krankheiten des chylopoëtischen Systems von Prof. Bamberger. Erlangen 1855.
2. Die Krankheiten des Magens von William Brinton; aus dem Englischen übersetzt von Dr. H. O. Bauer.
3. Das korrosive Geschwür im Magen und Darmkanal von Dr. Ludwig Müller, prakt. Arzt in Minden. Erlangen 1862.

De aetiologia.

Quod attinet ad frequentiam ulceris ventriculi, ex au toritate Brinton in 5% omnium variis morbis morientium ea laesio invenitur. Ill. Jaksch. in 2330 cadaveribus 113 casus recentis ulceris vel cicatricis reperit. Constat nec dubitari potest, quin in sexu muliebri haec affectio multo frequentius observetur quam in maribus, atque variorum autorum sententias inter se comparantibus nobis perspicitur, mulierum eius modi numerum duplicem esse quam virorum. In iis quidem casibus, quos ipse vel mihi communicatos vel a me observatos cognoscere potui, 17 mulieres et 9 mares hoc malo affecti erant. Nec mihi ea caussa recte afferri posse videtur, quod propter menstruationis rationes hoc malum crebrius mulieres afficere soleat, quamqum haec res, ut postea accuratius explicandi locus erit, inter ipsum morbi decursum bene consideranda est; sed potius totus victus cultusqne mulierum, earumque ratio vivendi caussam praecipuam videtur afferre. Quum enim iam puella minus liberum spiritum de coelo trahere consueverit quam puer, virgo adulta plerum que domi se continens, vix salutaribus sub divo motibus ac praecipue ambulationibus corpus corroborare solet; deinde vero matrisfamilias operibus occupata molestias partus et puerperii perferre, totumque diem vel adeo noctem liberos observare et educare cogitur; denique ut brevi praeci dam, mulier multo peioribus, quam vir, vitae conditionibus utitur. Liberum vero et salutarem aerem at sananda vel minuenda ulceris symptomata plurimum valere, hoc maxime declaratur, quod aegroti ceteris conditionibus paribus ruri melius se habent, quam in urbe, ubi operibus quotidianis nimium domo adstricti sunt. Quae quum ita sint, ad gignendum vel augendum hoc ulcus magni videtur esse momenti,

si quis perpetuo in aere domesfico minus salubri commoratur, vel, si quis omnino infaustis vitae conditionibus vexatur. In viris quidem, opinor, frequentior usus potionum spirituosarum momentum praedisponens videtur praebere posse; in universum tamen nihil certi constat, quantum ratio vivendi ad hunc morbum generandum conferat.

Jam vero, ut de caussis dicamus e vitae aetate repetendis, ulcus sane in omni aetate occurrens, rarissime tamen in prima pueritia, creberrime tempore florentis iuventutis atque aetate matura ac robusta est observatum. E numero 26 casuum in duobns affectiones ventriculi ex decimo vitae anno aegrotis aderant, quae tempore pubertatis multo acrius exardescrebant sed nunquam omnino remittebant. Vid. Cas I.

De anatomia pathologica.

Ut iam ad sedem ulceris explicandam veniamus, posterior ventriculi paries saepissime afficitur, secundum hunc curvatura minor, deinde pylorus, rarius cardia et fundus ventriculi.

Forma autem ulceris plerumque rotunda est, tum etiam oblonga et renis similis apparet. Haec oblonga forma saepe hinc nascitur, quod complura ulcera inter se confluunt. Magnitudo varia conspicitur, a pisi ad palmae volumen, atque etiam ultra. Quamquam magnitudo non sane nimii momenti videtur, quum perforationes etiam in exiguis ulceribus occurrant, dum maiora tantummodo membranam mucosam afficere et cicatricibus obduci possunt.

Sicuti magnitudo et forma, ita etiam margo variam rationem offert. Plerisque casibus laevis, acriter, tamquam caelo praecisus est. Membrana mucosa vicina circumiacens plerumque paullum exstat e superficie ventriculi, et membranae proxima ulceris vicinia concrassatae sunt. Ista concrassatio magna esse potest, veluti in Cas. II., ubi membranae ventriculi quinquies tantum concrassatae apparebant. Eae

concrassationes, etsi per se minime morbosam naturam prae se ferunt, tamen interdum cum carcinomate confusae sunt. Fundus ulceris in membrana mucosa tantummodo incidentis similem qualitatem ut margo offert, ita ut solidus laevis et induratus sit; nonnunquam asperae eminentiae in fundo inveniuntur, quae reliquiae sunt membranae mucosae destructae. Vide, Cas. II. Si ulcus profundius, id est in membranam muscularem et tegumentum peritoneale se insinuat, constanter formam coni, infundibuli seu crateris prae se fert. In membrana mucosa maximam ostendit diametrum. Diametri minuuntur, in stratis sequentibus usque ad locum perforationis seu cohaesionis. Saepe lumina vasorum arrosorum dehiscentium reperiuntur. Cas III. Alio casu tenui specillo dimidium pollicem in vas penetrari potuit. Si ulcus cunctas ventriculi membranas perterebravit, aut liberum in cavum abdominis pervenit, quo facto tum universali peritonitide mors concitatur, aut cohaesiones init, quare deinde fundus ulceris tegumento aliorum organorum efficitur, aut denique amplius etiam in ipsa organa propagatur.

Jam vero iis quae sequuntur exponere in promptu est, quas cohaesionum relationes in 21 cadaverum sectionibus invenerimus.

Creberrime pancreas, partim solum, partim simul cum aliis organis cum ventriculo concretum reperitur. Quinquies pancreas solum concretum apparebat.

In femina quadam 44 annorum praeter constrictionem medio in ventriculo exstantem, membranae ventriculi uno loco perforatae erant; ventriculus autem pancreatis capite occludebatur. Act. sect. No. 864.

Alio casu, act. sect. No. 869 in femina 47 annorum pars membranarum ventriculi deerat; ventriculus autem pancreate clausus erat.

Tertio casu, act. sect. 1058 in muliere 58 annos nata, ventriculus in regione nummi imperialis magnitudine cum pancreate concretus inveniebatur. Hoc loco in ipsa cavo ventriculi ulcus aderat, magnitudine nummi, quem nos dicimus „Vierpfenningstück“ quo membranae ventriculi destructae erant. In regione ulcus circumiacente membrana muscularis concrassata, pancreas in regione concretionis induratum erat.

Praeterea in duobus etiam casibus concretio cum pancreate exstabat. Vide, Cas. II. et act. sect. No. 1756 qui casus in capite de symptomatis expositus est.

In quattuor casibus pancreas et hepar cum ventriculo concreta erant.

In muliere 58 annorum, act. sect. 272, praeter tuberculosas in pulmonum apicibus cavernas ventriculus cum hepate concretus, atque in medio constrictus apparebat. In curyatura maiore foramen aderat pancreate obtectum. Secundo casu in viro 57 annos nato, act. sect. 853 ventriculus ipse, id qnod foris animadverti potuit, strictura in duo dimidia erat dispertitus, quorum alterum, quod ad cardiam vergebat. prorsus integrum sanumque remanserat, alterum vero graviter degeneraverat. Nonnullis locis paries omnino deerat, sed tamen uno loco concrassato hepatis tegumento, alio pancreate compensatus erat.

Tertio quodam casu, act. sect. 1731, in muliere 68 annorum praeter tuberculosim ad posteriorem ventriculi parietem prope portionem pyloricam ulcus exstabat thaleri magnitudine, quod ventriculum omnino perforat; sed effusio contentorum impedita est pancreate, quod arctissime cum eo concretum fundum ulceris efficiebat. Praeterea funiculus cicatricum aderat cum duabus recentibus ulcerationibus lentium magnitudine, quae ventriculum perforabant, sed cicatricibus

inde ab hepate ad ventriculum usque patentibus praecludebantur. De quarto conf. Cas. I.

Concretiones cum hepate tribus casibus inventae sunt.

Vir 41 annorum, act. sect. No. 1631, ex quinquennio ventriculi molestiis vexabatur, adeoque morbo confectus est, ut extremo tempore ne levissimos quidem cibos perferre posset. Tribus hebdomadibus ante mortem omnia symptomata peritonitidis universalis prae se ferebat, ita ut perforatio ventriculi dignosceretur. Propter diuturnum affectionis tempus diagnosis in dubium vocata est. Aegrotus decubitu et oedemate affectus cum perfecto marasmo decessit. Sectio autem cadaveris cicatricem ulceris prope pylorum exstantis, eumque partim circumdantis demonstravit. Loco ulceris concretio sinistri hepatis lobuli cum ventriculo respondebat.

Alius casus hic est. Vir 41 annorum, act. sect. No. 1700, in carbonibus terrestribus formandis operarius, ex triennio stomachi pressu laborabat, gravioribus cibis abstinebat, nunquam eructatione et vomitu vexatus est, levem habebat alvi obstructionem, nec tamen hae molestiae tantopere eum cruciaverunt, ut propter eas medicam opem implorandam censeret.

Octo diebus ante mortem vagis abdominis doloribus affectus est, quorum tamen sedem enuntiare non poterat, sed nihilominus labore fungi pergebat. Die 6. m. Julii a. 41 h. s. repente acribus doloribus correptus, omnia symptomata universalis praebuit peritonitidis, ita ut, quum affectio ventriculi levissima fuisset, interna intestinorum convolutio coniiceretur. Aegrotus die 7. eiusdem mensis decessit. Sectio cadaveris ulcus infundibili forma perforatum grossi argentei magnitudine et tres cicatrices antecedentium ulcerum prope cardiam exhibuit. Anterior ventriculi paries ad curvaturam minorem cum sinistro hepatis lobulo erat conglutinatus.

Tertio casu in virgine, quae perforatione exorta deces-

sit, recens et levis ventriculi cum sinistro hepatis lobulo adhaesio exstabat.

Rariores concretiones cum colo occurrunt. Forte in 21 sectionum actis tres huius generis casus exstant, quorum unus mense Octobris 1863 lethalem habuit exitum. Etenim vir 58 annos natus nihil aliud querebatur, nisi ad tempus pertinaci alvi obstructione se laborare, eamque ob rem per longum temporis spatium subinde curabatur. Alvi egestio postremo nullo prorsus remedio revocari potuit, sed potius tanta tympanitis incidit, ut intestinorum punctio institueretur. Postremo hic aegrotus vita decessit, et sectio cicatricem pristini ventriculi ulceris ad pylorum et concretionem cum colo transverso ostendit.

Alio casu, act. sect. No. 192, in viro 58 annorum ventriculus ad curvaturam maiorem cum colo et pancreate concretus et in medio constrictus; pone est infra parietes ventriculi destructi et colo et pancreate erant compensati.

Alias, act. sect. No. 387 in viro 58 annos nato ventriculus magnus, in fundo extentus, ad pylorum graviter coangustatus, valde concrassatus et cum colo transverso concretus erat. Uno casu concretionem cum liene animadvertimus, in quo hoc maxime est memorandum, ulcus in pulpam lienis penetrasse.

Vide Cas. III append.

Perfectae cum pariete abdominis nullae concretiones in casibus nostris aderant, tamen uno in casu diuturna peritonitis novem dierum, ubi anterior ventriculi paries erat perforatus, levi conglutinatione cum abdominis pariete nata esse videbatur.

Jam vero, ut videamus, quomodo istae adhaesiones et concretiones nascantur, perspicue apparet, eas tantummodo adhaesiva inflammatione generari posse; ulcus enim in membrana mucosa exortum, ad membranam muscularem, ex eaque

ad tegumentum peritoneale transit, ubi deinceps inflammatio ad tegumentum vicinorum organorum propagatur atque ita exsudanda lympha plastica adhaesiones eius generis efficit, quod supra adumbravimus. Hoc igitur modo fieri potest, ut perforatio membranorum ventriculi oriatur, et nihilominus homo diutins vitam sustentet, quum in locum deficientium ventriculi membranarum tela cicatricosa concrassata substituatur.

Jam, ut ad numerum ulcerum veniamus, plerumque unum modo ulcus repertum est, aliis tamen casibus cicatrices iuxta ulcus, vel plura ulcera recentia apparuerunt. Ex his quidem cicatricibus novas ulcerationes proficisci cognovimus.

Quinque in casibus plus quam unum ulcus denuntiatum est; et quidem exstant uno casu ulcus unum et una cicatrix ulcerans, alio tres cicatrices, quarum ex una perforatio proficiscitur, tertio duo recentia ulcera, quae mutuo in se transeunt, et cicatrices inter cardiam et pylorum, in quarto unum ulcus cum tribus cicatricibus, denique in quinto una cicatrix perforans et duae ulcerantes.

Restat etiam nunc, ut de statu et mutatione ventriculi eiusque membranarum dicamus. Quemadmodum supra iam commemoravimus, in proxima ulceris vicinia membranae ventriculi plerumque concrassatae sunt ex depositione in tela cellulosa inter membranas muscularem et mucosam, ceterum incolumes remanent. Interdum membrana mucosa catarrho affecta invenitur, vel etiam erosiones haemorrhagicae apparent.

Dilatatio ventriculi minime rare deprehenditur. Compluribus easuum nostrorum dilatatio adfuisse traditur, nec tamen certo definitur, quatenus extentus fuerit. Ingens vero fuit in Casu I appendicis, ubi ventriculus paene usque ad symphysin pubis pertinebat, a qua paucorum tantum digitorum latitudine distabat. Quum in hoc casu, tum in ceteris pylorus erat coangustatus, ex quo ventriculi dilatationem facile interpretari possis.

Nonnunquam constrictiones quoque adsunt. Ne coarctationem cardiae et pylori commemoremus, tribus casibus ventriculus in medio constrictus et in duas cavitates divisus, et in uno casu cardia adeo pyloro appropinquata erat, ut curvatura minor duorum tantum pollicum esset.

Unde hocce ulcus primam caussam atque originem traxerit, disquirere omittimus, quum de hac re uberius scriptum sit a viris doctissimis et clarissimis, quorum opera in praefatione huius libelli allegavimus.

De symptomatis et diagnosi.

Symptomatum ulceris ventriculi plane singularis est ratio. Propemodum enim dixerim, sua quemque casum propria afferre symptomata, atque suum ipsius studium requirere, quum symptomata admodum varia atque inconstantia appareant. Nonnullis casibus omnia symptomata in decursu môrbi animadvertuntur, in aliis vero aut nulla prorsus demonstrari possunt, ita ut secto demum cadavere forte cicatrices atque adeo perforationes ac concretiones deprehendantur, aut levia tantum, ut subito perforatio oriatur nullo antea medici auxilio implorato. Vide. No. 1700 in capite de anatomia pathologica. Quam ob rem haudquaquam dicere consontaneum videtur, certa quaedam symptomata adesse oportere, ut ulcus dignosci possit, sed unoquoque casu omnia, quae reperimus, exactissime consideranda sunt, ac deinde via exclusionis ad rectam diagnosim pervenire licet. Itaque symptomata, quae apparent, breviter explanare placet, quorum unum maxime reputandum est, dico dolorem, qui, opinor, nunquam omnino deest, quamquam interdum levior tantum apparet. Aegroti enim sensum plenitudinis in ventriculo percipiunt, et ita premuntur, tamquam nimium cibi comederint. Nonnunquam dolor etiam quodam modo terebrat et constringit. Vulgo in regione epigastrica ex pressione vel adeo ex tactu vehementer gravescit,

ita ut fieri non possit, ut aegroti vestimenta artius constricta patiantur. Itaque puellis et mulieribus, „Corsets“ qui dicuntur intolerabiles sunt. Motus quoque et animi affectus ad augendum dolorem multum valent, itemque tempus menstruationis, id quod nos ipsi observandi occassionem nacti sumus. Proprium et singulare est, quod dolor continuo post coenam vel ex usu certorum ciborum vel potionum crescit; ita nonnullae, puellae ex usu infusi coffeae et ciborum acidorum acrioribus doloribus vexabantur. Interdum tanti dolores paroxysmi incidunt, ut aegroti nullo prorsus modo se erectos sustinere possint, se aut proiiciant aut incurvent ut vel exiguam doloris sublevationem sibi comparent. Virgo 24 annorum, cuius cura nobis eontigit, in his impetibus semper positione incurvata paullum levata est. Dolor non continuus est, sed saepe longiores remissiones intermittit. Si dolor a coena ad coenam permanet, et post quamque coenam augetur, ulcus extentum suspicari possumus. Sin in paroxysmo doloris vomitus oritur, hic plerumque cum levatione coniunctus est. Saepe vomitus cum dolore artiorem habet rationem. Quippe incidit, quum dolor ad fastigium pervenit, levationem comparat et deficit, donec doloris impetus revertitur.

Perpaucis casibus vomitus deest. Natura et color vomitorum ex conditionibus dependet. Persaepe cibi sumti evomuntur, quum vomitus creberrime post coenam incidat. Interdum vomita gustatum acidum et biliosum habent, praesertim, si aegrotus nonnullis horis post coenam evomit.

Quibusdam casibus striae sanguineae, quae a sanguinis ex capillaribus effusione oriuntur, inter cibos mixtae conspiciuntur. Nonnunquam etiam massae subatrae et sedimento infusi coffeae similis (Kaffeesatzähnlich) vomitu eiiciuntur, quae ex sangninatione in ventriculo originem trahunt, in qua tamen sanguis non statim vomitu excretus est, sed diutius in ventriculo remansit. Hae sanguinationes, quae facile ab aegrotis

negligi possunt, quum non semper sanguis evomatur, magnum diagnoseos momentum praebent. Sin autem magna copia liquidi sanguinis evomitur, diagnosis consideratis ceteris conditionibus vulgo nullam dubitationom relinquit. Quum enim cetera symptomata, nisi vehementiora sunt, nonnunquam ab aegrotis minime respiciantur, incidente haematemesi aegroti non amplius dubitant medicum de morbo consulere.

Haematemesin saepe sensus plenitudinis, tentionis in regione ventriculi, pulsus cordis, ingruens syncope, nausea praecedunt, donec vomitus incidit, quo saepe permagna sanguinis copia eiicitur. Cordis pulsum finito vomitu desivisse, in uno casu observavimus et in nonnullis aliis morborum historiis aperte declaratum reperimus. Si magna copia sanguinis effusa sit, ingens languor incidit, pulsus parvus, filiformis et tardus fit, cordis soni saepe obtusi et flantes, cutis, conjunctiva, labia pallida, denique status omnino anaemicus existit. Haematemisis ex diruptione majorum vasorum corrosorum oritur. Quod iam attinet ad caussam huius diruptionis, haec certe eo nititur, quod plus sanguinis ventriculo adducitur, qua re vasa arrosa nimis complentur atque dirumpuntur. Itaque facile hoc explicare potest, quod post coenam, quo tempore et propter digestionem sanguinis copia ad ventriculum adducta augetur, et praeterea etiam mechanice ventriculus extenditur, plerumque sanguinis effusio incidit. Sanguinis effusio usu fervidarum potionum certo augetur, vel etiam provocatur.

Talis casus exstat observatur a doctiss. Mordtmann, in quo ex symptomatis praesentibus sanguinatio in ventriculo dignoscebatur, et duodecim horis post diagnosis vomitu atri sanguinis et atris faecibus apparentibus confirmata et. Quum autem mulier postridie calidum lac bibisset, vehemens fluidi sanguinis vomitus exortus est. Alio casu ab Ill. Weber nobis communicato femina quaedam, postquam in complures

syncopas incidit, sanguinem partim atrum partim subatrum evomuit. Cuius domina ei calidam aquam singulis poculis bibendam praebuit, quo facto sanguinis effusio vevertit et vehemens sanguinis effusio et vomitus sequntus est. Sanguis liquide rubrum colorem exhibebat. Aegrota hanc potationem continuare cogebatur, et ingentem copiam (ein Waschbecken voll) sanguinis evomuit, quum prorsus pallida in syncopen et extremitatum convulsiones incidit. Aegrota ingentem anaemiam praebebat. Vesicae glacie refertae, panni in glaciem immersi stomacho applicati, styptica vomitum sanguinis leniebant, et paucis hebdomadibus aegrota recreabatur. Tertio casu a nobis observato sine dubio sanguinis effusio ex potatione fervidae aequae est nata. Virgo enim quaedam 24 annorum, quae a decimo vitae anno stomachi molestiis atque ex pubertatis tempore ventriculi spasmis laboraverat, et vicesimo anno iam subatras massas evomuerat, e praecepto Ill. Bock, qui in libello „Gartenlaube" in capite, „Warmes Wasser, mein liebstes Heilmittel," inter alios, „jedem der am Magen besonders am Magenkrampf und andauernden Magenbeschwerden leidet, fervidam aquam commendat, vesperi nona hora inter vehementissimos dolores aquam bibit quam fervidissimam perferre potuit. Dolores acerrime augebantur, pulsatione vexata est in regione epigastrica, inquieto somno iacebat, vomituriebat, et mane quarta hora magnam sanguinis copiam evomuit, ita ut octava hora prorsus anaemicam et languidam eam reperirem.

De hoc praecepto uberius disserere longum est, quum quisque id recte aestimare possit.

Si ulcus ventriculi ad perforationem pervenit, haec statim facile cognoscitur, subitis doloribus per totum abdomen ex incidente peritonitide sequentibus. Quod originem perforationis attinet, sane spontanea occurrit, quum ulcus paullatim omnes ventriculi membranas perforet, atque ita contenta

in cavum abdominis effundantur; persaepe vero caussas traumaticas investigare possumus.

Ita femina quaedam, quae ex perforatione ventriculi interemta est, dolores suos primum ex pressione ad alvum ducendam sentit, atque sine dubio hoc temporis momento perforationem exstitisse coniicere licet. Alio casu dolores in conclavi purificando exstiterunt, ubi item corporis laborem caussam perforationis vindicamus. In illo operario, turfae formatore, qui infra in loco de concretionibus commemoratus est, item perforatio inter graviorem laborem incidit. Haec igitur perforatio aut per peritonitidem mortem concitat, aut definitivae concretiones nascuntur eoque faustus exitus adducitur. Plerumque mors perforatione facta 24—48 horis incidit, sed duo nobis praesto sunt exempla, quibus peritonitis plures dies, altero 9 altero 8 dies perseveravit, quam rem inde tantum explicare licet, quod his locis concretiones iam fuerint praeparatae. In altero casu sine dubto levis conglutinatio cum sinistro hepatis lobulo caussam praebebat, cur aegrotus tam diu etiam vitam produxerit, quae caussa iam in relatione ipsa pronunciatur. Ex iis, quae explicavimus, perspicere licet, perforationem potissimum, quae ceteroquin gravissimum malum in ulcere ventriculi est, caussam sanationis afferre posse. Sane hae aliorum organorum cum ventriculo concretionis affectibus suis rursum mortis caussam praebere posse, ex casu supra citato intelligimus, ubi ulcus ventriculi nullas prorsus molestias manifestas commovit, sed tamen concretione ventriculi cum colo stenosis coli nata mortem concitavit.

Obstructionem vero alvi plerisque casibus ulceris ventriculi existere observamus, nisi forte tuberculosis vel typhosis intestinorum ulceribus diarrhoea generatur. Praecipue autem pertinax obstructio oritur in haematemesi. Aegroti saepe etiam 4 vel 5 dies egestione carent, atque demum clys-

matis saepius et diligentius applicatis alvus ducitur. Quum aegroti antea ex capite laboraverint, de vertigine questi sint, atque omnino pessime se habuerint, magnam et peroptatam levationem et euphoriam nanciscuntur, simul atque alvus satis et large est exinanita.

Universalis corporis status integer manere potest; scilicet saepe puellae florentes inveniuntur, quae subito sanguinis vomitu afficiuntur ex ulcere ventriculi, quin etiam ex perforatione repentina morte conficiuntur; aut propter pravam digestionem, continuos dolores, vomitum et sanguinationem paullatim aegroti macescunt, anaemia nascitur, in venis ingularibus sonitus audiuntur, oedemata et hydrops accedunt. Capitis dolores, qui frequentissime exardescunt, persaepe ad anaemiam referendi sunt. Digestionis perturbationes vulgares sunt; praecipue vero acres eo tempore, quo doloris impetus frequentiores ingruunt, tum appetitus ciborum saepe omnino deficit. Tempore remissionum conditio aegroti plane tolerabilis est. Mirificum vero est, quod frequenter observatur, alios homines ulcere ventriculi affectos certos cibos omnino perferre non posse, quum alii in iis edendis optime se habeant. Ita invenimus aliquo in casu, feminam ingentem appetitum acidorum ciborum et pomorum terrae sensisse, quae quidem ceterum male digeruntur.

Facillime vero lac, caro levis et legumen recens digeruntur. Dysmenorrhoeam symptomatum loco afferre non consentaneum mihi videtur, sed potius hasce res complicationum et effectuum numero retulerim. Ex omnibus, quae ante dicta sunt, perspicitur, diagnosin saepe difficillimam esse posse, quoniam symptomata plane diversa sunt, crebro etiam aliqua ex parte desunt, nonnunquam morbus paene sine ullis symptomatis decurrit, et repente perforatione vel haemorrhagia hominem ad mortem perducit. Si tamen accuratiore anamnesi instituta atque aegroto diutius observato omnia momenta

probe consideramus, non dubium est, quin plerumque malum recte cognoscamus neque illud cum carcinomate, vel catarrho ventriculi, vel haemorrhagica erosione, vel nervosa cardialgia confundamus. Sed tamen diagnosin differentialem copiosius et per singula momenta persequi, non huius libelli est, propterea quod in casibus exstantibus nimis pauca ad discernendos morbos momenta se obtulerunt, quare ad opera autorum supra memorata legentes relegare suffecerit.

De decursu et prognosi.

Tempus atque decursus mali maxime diversa sunt. Casus rapidissime occurrentes decurrere possint, ita ut ulcus exortum celeriter in cunctas ventriculi membranas propagetur et ad perforationem perveniat, sed plerisque casibus decursus chronicus est. Iis ipsis casibus, qui acute decurrere videntur, quum aegroti nunquam gravioribus ventriculi molestiis vexati subito experforatione vita decesserint, cicatrices secto cadavere iuxta ulcus perforatum repertae demonstraverunt, illud malum per longum temporis spatium quasi latens exstitisse. Plerique aegroti etiam referunt, se per multos annos illis ulceris molestiis laboravisse et iure suspicari licet, hoc malum decem ad viginti annos et diutius, id quod ab autoribus asseveratur, produci posse, priusquam morte finiatur, vel plane sanetur. Omnino autem iure statuere mihi posse videor, inter omnes affectiones, quae etiam brevi tempore mortem afferre possunt, nullam per tot annorum spatium persistere posse, nisi hoc ipsum, de quo dicimus, ventriculi ulcus.

Scilicit inveniuntur, qui annos 20 vel etiam 40—50 annos de stomachi molestiis et vomitu querantur, donec aliquando ex haematemesi vel perforatione vel alio morbo intereunt, Cas. II et III. Sed dicat quis hoc loco, qua ratione probari possit, eius modi stomachi affectionem iam tum ulcere niti. Hanc quaestionem temere propositam arbitrari debemus;

quum enim sciamus, ulcus ventriculi saepe nulla omnino magni momenti symptomata offerre et nihilominus mortem concitare, cur non in iis casibus, ubi re vero post mortem ulcus reperitur, omnes molestias ex eo repetendas censeamus? In casu III ex sexto decimo aetatis anno molestiae stomachi exstabant, dolor, vomitus sanguinis, cur non coniiciendum fuerit, iam tum ulcus adfuisse, earum molestiarum caussam praebuisse, quum postremo sexagesimo quarto vitae anno mortem concitaverit? Praeterea hoc de casu notandum est, etiam ulceris in pulpam lienis transitum grave momentum praebere, cur malum diutissime permanserit; certe enim iam antea arta cum liene concretio aderat. In anamnesi autem nulla alia symptomata nanciscimur, nisi dolorem et vomitum adeo sanguinis; itaque consentaneum est praesumere, malum per 48 annos permansisse, praesertim quum ex sexto decimo vitae anno symptomata existerint, qua aetate potissimum ulcus ventriculi persaepe animadverti soleat. In universum vero verum esse credo, neque sectionibus neque observationibus in vivis institutis tempus, per quod malum permanserit, accurate definiri posse, quoniam saepe perforatio et haemorrhagia, nullis praegressis gravioribus ulceris symptomatis, existunt et quasi primum symptoma efficiunt, tum vero chronicus decursus incipit; aliis casibus, ut sectiones declarant, perforationes et concretiones, nullis manifestis effectibus, nescio ante quot annos exortae sunt, ut in casu illo de concretione coli. Ulcus saepe sanari et recidere, partim ex anamnesi, namque hinc tantum remissiones molestiarum interpretari posse opinor, partim ex eo, idque etiam evidentius e sectionum actis, intelligitur, quod saepe cicatrices reperimus, quae denuo ulcerantur ac deinde etiam perforationem afferunt.

Hisce de caussis, quas modo explicavimus, prognosis semper caute et diligenter instituenda est; etsi enim saepe contingit, ut malum sanetur, id quod cicatrices satis decla-

rant, tamen etiam recidens brevi tempore mortem afferre potest. Praeterea aliis quoque de caussis prognosim cautissime institui atque certe quemque aegrotum ulccre affectum diligentissime observari oportet, quoniam non semper vehementia symptomatum periculi magnitudinem metiri licet et perforatio ac mors saepe ex inopinato incidit, aliis casibus, quamquam gravissima sunt symptomata, malum sanatur.

De complicationibus.

In puellis et feminis menstruationem perturbatam frequentissime ut complicationem invenimus; etsiamsi ipse observavi, puellam menstruatione valde irregulari laborare, ita ut menses saepe 6—8 hebdomades desinerent et rarissimi essent, quo tempore ventriculi ulcus acres molestias afferebat, e contrario mentruatio octo hebdomadibus post haematemesin, quum idonea diaeta et cura omnes dolores evanuissent et totus valetudinis status emendatus esset, rursum incidere et per totam hiemem quarta quaque hebdomade regulari modo decurrere, tamen hoc non immediate cum ulcere ventriculi, sed mediate tantum cohaerere possum arbitrari. Quum enim enim perpetuis et acribus doloribus, vomitu, mala digestione et sanguinis effusione uuiversalis valetudo vehementer perturbetur et corpus infirmetur, his rebus, ut in feminis aliis morbis confectis, dysmenorrhoea et amenorrhoea nascuntur; scilicet in plerisque gravioribus morbis menstruatio perturbata invenitur.

Ad chlorosim autem quod attinet, exploratum est, eam si cum ulcere simul adsit, praecipue pertinacem fieri. Uno in casu chlorosis permanet, quamquam ventriculi ulceris molestiae remittunt, alio casu cura chloroseos per sex annos continuata nihil profecit propter ventriculi ulcus. Jam igitur quaerere aliquis potuerit, num omninŏ hi duo morbi nexu caussali continuantur; utrum chlorosis ulceris caussa est, an

ulcus caussa chloroseos? Jure utrumque negare me posse existimo; siquis chlorosin ulceris caussam arbitrari vellet, quaererem, quanam de caussa toties viros, et cur non multo saepius etiam puellas et mulieres ventriculi ulcere affectos reperimus, quum tot feminae chloroticae et in urbibus et ruri inveniantur? Neque magis probandum mihi videtur, si quis chloroseos caussam ex ulcere repetendam esse censeat, quum puellae et mulieres per multos annos ex ulcere laborent, nec tamen chlorosi afficiantur, sed normali menstruatione utantur, saepe bonum habitum prae se ferant, et tolerabili valetudine fruantur. Quam ob rem chlorosis neque caussa est ulceris, neque ulcus causa chloroseos. Facile autem explicari potest chloroseos pertinacia, si cum ea ulcus ventriculi eodem tempore adest, quia valida nutritio et cura inter cetera remedia plurimum valent; exstante vero ulcero, eoque tota digestione perturbata, nutritio haud recte potest temperari, nisi antea ulcus remotum sit. Creberrima complicatio tuberculosis est. Inter 21 sectionum relationes quinquies tuberculosis reperta est; vix autem quisquam dubitabit, quin tuberculosis cum ulcere ventriculi nexu causali non continuatur. Maxime probabile autem est, evolutionem tuberculosis exstante ulcere celerius progredi posse. Quod pulmonum tuberculosis tam saepe cum ventriculi ulcere complicata est, hinc facile explicari potest, quia omnino frequentissime occurrit. Stomachi molestiae saepe prorsus deficiunt, et aegroti ex tuberculosi moriuntur. Conf. Cas I.

Alio casu, act. sect. vol. XV, aequalis exitus fuit. Vir 30 annorum ex biennio stomachi molestiis affectus, saepe cum bono successu curabatur. Mense Novembris a 1845 rursum in curam policlinicam se dederat gravescentibus molestiis, dolore, nausea, vomitu etiam inani ventriculo. Per multos annos tussi laborabat et sputis flavis et puruletis ex tuberculosi. Stomachi molestiae adeo creverunt, ut exeunte

mense Decembris in nosocomium reciperetur. Idonea cura status ita est emendatus, ut vomitus et dolor desinerent, etiam pressione ventriculus non sensibilis esset et aegrotus tantummodo se debilem esse quereretur. Mense Februarii aegrotus hydrope et ascïte affectus est. Morbus Brigthi inciderat, tuberculosis progressa est itaque aegrotus die 10 mensis Juni 1846 his morbis confectus est.

Sectio praeter tuberculosim utriusque pulmonis, renum tuberculosim atque degenerationem Brigthi, in media curvatura minore cicatricem pristini ulceris stellae in formam contractam afferrebat.

Praeterea emphysema, pleuritis, pneumonia, pericarditis hydatides cum ulcere combinata reperiebantur. Semel calculi vesicae biliosae et massae scirrhosae cum ulcere exstabant. In muliere 63 annos nata cum ulcere perforato (act. sect. vol. XV $^{6}/_{6}$ 44) pylorus valde coangustatus et induratus erat, et quidem depositione duos digitos lata annuliformi massae firmae, fibrosae, paucis tantum locis emollitae scirrhosae, quae stomachum versus acriter definita cristam amplius quam unam lineam altam efficit; vesica biliosa praeter calculam magnitudine ovi columbini etiam 420 calculos minores varii luminis continebat.

De Therapia.

Quod attinet ad curam huiuce mali, certe apparet, ut in omni stomachi affectione, accuratissimum diaetae regimen maximi momenti esse. Prae ceteris curam lactis, aerem recentem et salubrem, et commorationem ruri utilem esse, experientia docet. Hoc profecto constat, nunquam existens ventriculi ulcus sanari, nisi recta diaeta teneatur. Sane ad removenda symptomata vel minuenda praeclara sunt remedia, veluti narcotica ad dolorem amovendum, quibus tamen malum ipsum non sanatur. Si cognovimus, hunc morbum sua sponte,

sine medicamentis interdum tolli, homine in alias et meliores conditiones translato, primum profecto medici munus erit, ut naturam adiuvet vel sequatur. Sanationem ulceris ventriculi talem fingere possumus, qualem ulceris alius in corpore externo; ut hoc non tollitur perpetuo irritatum, sic ventriculi ulcus sanari non potest, quum stomachus semper opulentis coenis, spirituosis et cibis gravioribus oneretur. Imprimis igitur haec detrimenta removeaotur oportet

Jam vero, ut de curandis symptomatis breviter modo exponamus, contra dolorem Bismuthum cum Morphio, vel Morphium cum Argento nitrico plurimum proficiunt. Contra nauseam et pyrosin acidum carbonicum laudatur. Vomitus vero saepe pertinacissimum est malum, quod interdum vix ulli remedio cedat. Recentiore tempore Tintura jodi contra vomitum commendatur. Nonnulli ex ea egregios effectus se habuisse dicunt; certo in vomitu gravidarum Tinctura jodi se praestitit, quae res, opinor, caussa commendationis fuit. Sed doctiss. Müller in monographia de ulcere ventriculi de illa haecce dicit:

„In neuerer Zeit ist die Jodtinctur gegen hartnäckiges Erbrechen empfohlen worden. Fuchs versuchte dieselbe dreimal. Nur einmal schien sie zu helfen, während sie in den andern Fällen nicht vertragen wurde. Da ich es nicht für gerechtfertigt hielt, blos experimenti caussa die Jodtinctur zu probiren, wo sicher wirkende Mittel zur Hand waren, und zumal sie in Fällen anzuwenden, wo jeder Reiz streng gemieden werden muss, so kann ich aus eigener Erfahrung nicht über deren Wirkung sprechen. In den Versuchen von Siebert brachten Jodpraeparate so schlimme Folgen hervor, dass „ihm der Muth zu fernern Versuchen entfiel.““

In sanguinationibus vesicae glacie refertae stomacho implicatae et pillulae glaciei perutiles sunt. Praecipue tum perfecta quies, ac diaeta absoluta observanda est.

Alvi obstructio optime clysmatis tollitur, quia in haematemesi, ubi ubstructio saepe pertinacissima est, quodvis laxans ventriculum nimis irritaret. Sedata sanguinatione diligentissime in diaeta cavendum est. Sensim modo ac paullatim a lacte ad ova, levia legumina et carnem transire licet.

Si perforatio incidit, peritonitis curanda est; Opinm largioribus dosibus eo magis praebendum est, quod eo adhaesiones et concretiones adiuvantur.

Casus I ex. act. sectionum.

Friedericus K . . . . ., 25 annos natus die 10 mensis Junii 1843 mortem obiit.

Puer ex decimo aetatis anno ventriculi affectione se laborare querebatur, imprimis dolore in epigastrio, qui per hos quindecim annos nunquam omnino ab eo cedebat, nonnullo tempore in complures hebdomadis tolerabilior fiebat, tum vero rursus tantam vehementiam assequebatur, ut aegrotus ne levissimum quidem tactum perferret, noctu somnum capere non posset ac perpetuo eiularet. Dolores in utrum que hypochondrium se propagabant. Aegrotus, qui impetus temporibus parum edebat, praeter ea tempora gravissimos cibos perferre poterat, nullo consequente dolore nec vomitu.

Vomitus sua sponte exsistebat; aegrotus saepius eum titillando palato excitare studebat, quippe qui levamen sibi afferret.

Anno abhinc copiam sanguinis (ein Quart) vomitu e iecit, id quod tamen non recurrit. Organa respirationis usque ad hos tres menses incolumia fuerunt. Postea ravi et tussi laborabat, quam macies in dies crescens comitabatur. Dolores ventriculi omnino remiserunt, quum tuberculosis rapide decurrens vitam celeriter finiret. Sectio cadaveris tuberculosa laryngis ulcera et tuberculosam utriusque apicis pulmonis infiltrationem offert. In cavo abdominis stomachus

tantopere amplificatus apparet, ut cuncta intestina contegat, et distantia digitorum paucorum relicta symphysim assequeretur. Duodenum item valde extentum. Ventriculus firmiter in anteriorem partem cum sinistro hepatis lubolo, in posteriorem cum pancreate cohaeret. Patefacto illo longum ulcus apparet, quod fere dimidium pollicem a pyloro distat, eumque coangustat et dimidio orbe circumdat; in partem anteriorem in hepar perforat, in posteriorem pancreate praecluditur. Latitudinem praebet $^3/_4$'', ad curvaturam minorem angustius, ad fines membrana mucosa tumet. Fundus locorum perforatorum tenui fibrosa membrana contectus est, ceteris locis speciem proprie cicatricosam affert; ceterum membrana mucosa statum praebet catarrhi chronici; alia organa normalia.

Casus II sect. act. vol. XV.

Gottlob D....... † $^5/_7$ 46.

Ex viginti annis cardialgia cum crebris remissionibus laboravit. Post prumale tempus anni 45 h. s. omnes molestiae graviores factae sunt. Sub finem mensis Maji ad curam reductus aegrolus marasticam speciem praebet et stomachum vel inanen vel gravioribus digestu cibis refertum sibi premi queritur. Vomitus perrarus. Regulata defaecatione et sumto Bismutho cum Morphio aegrotus satis bene se habet. Medio mense Junio, nullo accedente diaetae vitio vel perfrictione, acer dolor ingruit, qui Morphio diutius non cedit. Neque interdiu neque noctu aegrotus quiete fruitur. Defaecatio clysmatis efficitur. Aegrotus vehementer macescit, saepe in alvo ducenda syncope corripitur, stupidus et hebes fit, stomacho presso minus dolorem sentit, (quae sequuntur ad verbum relata sunt).

Quinto die mensis Julii aegrotum maxime mutatum inveni, abdomen intumuerat, pressu valde sensibile, in percussione mire clarum sonum et tantum dextera inferna parte

(homo dextero lateri incubabat) inanem sonum edebat. Pulsus, prioribus diebus semper quietus et parvus, nunc frequentissimus (132) minimus, celer; Cutis in abdomine et pectore fervida, in extremitatibus frigida et sudaminibus tecta. Apparebat, perforationem ulceris ventriculi locum habuisse. Decurrente die abdomen magis magisque intumuit, totum corpus manifesto frigidum fiebat et sub vesperam, paullo post sextam horam aegrotus prorsus quiete vita decessit. Sectio Praeter anaemiam ceterorum organorum et oedema dexteri pulmonis sectio cavi abdominis duas libras exsudati faeces olentis, et inflationem intestinorum obtulit. (Quae sequuntur, ad verbum descripta sunt.)

Curvatura minor tantum duos polices longa, cardia et pylorus sibi invicem approprinpuata erant, et facile hoc loco vestigia pristinae inflammationis cognoscebantur ex concrassatione et cicatricosa contractione, quam tegumentum serosum curvaturae minoris offerebat. Maior vero curvatura permagna erat, quum volumen ventriculi in universum crevisset, praecipue fundus stomachi valde dilatatus esset. In anteriore ventriculi pariete proxime sub curvatura minore, foramen orbiculare aderat, grossi argentei magnitudine, quod margines plane laeves habebat, et in cavum stomachi perducebat. Membrana mucosa ventriculi pallidissima erat, et nusquam vestigium injectionis prae se ferebat. In fundo et curvatura magna non graviter mutata esse videbatur, nullam etiam pigmenti depositionem offerebat. In curvatura minore duo ulcera erant in se invicem transeuntia, quorum alterum oblonga forma, fere $2^1/_2$'' longum et $1^1/_2$'' latum erat; in membranam mucosam tantum penetrabat, cuius etiam reliquiae forma parvorum eminentiarum restabant.

Margo ulceris laevis et acriter excisus erat. Alterum ulcus formam habebat rotundam, itemque margines plane laeves ab interna parte extrorsum infundibuli instar coangusta-

tos. Membranae stomachi hoc loco quinquies concrassatae, et massa lardosa infiltratae erant, manifesto ex pristinis ulceribus et cicatricibus, quarum vestigia in externa ventriculi superficie adhuc luculenter apparebant. Hoc secundum ulcus multo profundius, quam primum penetraverat, et omnes, quamquam valde concrassatas ventriculi membranas perforaverat, in eiusque fundo foramen illud orbiculare supra descriptum exstabat, per quod contenta ventriculi penetraverant, illamque peritonitin cum largo exsudato sanioso et paucis horis mortalem exitum effecerant. Ad posteriorem ventriculi parietem pancreas adhaerebat, textura incolumi sed tela cellulari cicatricose concrassata cum ventriculo conglutinatum.

Casus III. a. doctiss. Mordtmann observatus.

Vidua M. 64 annorum, usque ad decimum sextum aetatis annum semper bona valetudine usa, deinde acribus stomachi doloribus torquebatur, qui nonnullo tempore cum parvo sanguinis vomitu coniuncti erant. Ex illa tempore longioribus vel brevioribns intervallis, quibus ventriculus eius tantum infirmus erat, cardialgia laboraverat, quam vomitus comitabatur. Aegrota, omnibus infantium morbis superatis, menses suos recte nullisque abnormitatibus usque ad annum 47 habuit, tumque eos sine magnis molestiis climactericis amisit. Tres eius liberi adhuc viventes egregia valetudine fruuntur. Parentes eius acutis morbis decesserunt. Mater et ipsa ex ventriculo laboraverat Chlorosi aegrota se affectam fuisse negat.

Die 3. mensis Maii 62, postquam nonnullis diebus ante iam acres dolores exstiterunt, post coenam vehemens ventriculi sanguinatio sequuta est, fere sextarii copia. Post meridiem aegrota de vertigine queritur, nauseam habet, vehementem stomachi pressum ex triduo. Defaecatio, alias altero quoque die existens, deest ex 1. die mensis Maii. Tussis et

sputa desunt. Ante sanguinationem cordis pulsatio aderat. Aegrota semper modo tenues cibos perferre potuit, infusum coffeae nullis molestiis, nullam vero carnem.

Status praesens $^{3}/_{5}$ 62.

Sermo debilis, conscientia bona; Corpus modice longum, panniculus adiposus satis evolutus, musculatura levis, cutis languida, pallida, facies cerae instar pallida, oculi collapsi paullum obumbrati. Coniunctiva, labia, liagua, gingivae valde alba. In collo venarum flatus adest.

Thorax normalis, cor sine abnormitate, in primis autem sonis ubique flatus. Abdomen modice inflatum, in sinistro hypochondrio vehementer dolet, regio epigastrica sono suppresso, extremitates frigidae. Dorsum praecipue in dexteri humeri regione dolet, dolor deorsum et in brachia radiat. Ordinatio. Plumb. acet. et glacles in ventriculo imponenda $^{4}/_{5}$ 62 Vesperi tertii diei Maii iterum vomitus atrarum sanguinis massarum incidit coagulatarum, quo facto dolor remisit.

$^{5}/_{5}$ Parum sanguinis vomitur. $^{9}/_{5}$ Adhuc nullus sanguinis vomitus sequutus erat. Aegrota paullum recreari et plus cibi perferre coepit. Maximum symptoma dolor est in sinistro latere et dorso, qui dolor in dorso sedem variat inter vertebras pectorales et lumbales. Die 9 Maii mane a quarta hora repetita haematemesis sequuta est ex qua decima hora cum levibus convulsionibus aegrota decessit.

Autopsia. Cadaver vehementer macrum; pulmones et cor normalia; hepar languidum anaemicum, ventriculus et duodenum sanguinis coagulis valde extenta. Sinister stomachi paries cum liene arcte concretus. In loco concreto ulcus apparet, orbiculare, unum pollicem diametro patens, profundum, crateriforme, marginibus acribus, quod satis longe in pulpam lienis penetrabat. In marginibus duo ostia parvarum arteriarum dehiscunt. Ceterum cadaver modo signa anaemiae praebet.

VITA.

Natus sum, Josephus Kramps, die XXIII. mensis Februarii a. h. s. XXXIX in oppidulo Rhenano, cui nomen est Uedem, patre Josepho, matre Algonda, e gente Omes. Patrem ante sedecim annos mihi morte ereptum lugeo. Fidem profiteor catholicam.

Primis litterarum elementis imbutus anno LIV h. s. Collegio Augustiniano traditus sum, quod tunc florebat et adhuc floret Retore Ill. Perger. Quinquennio peracto Monasterium petii, ubi maturitatis testimonium nactus sum. Quo testimonio instructus mense Octobris a. h. s. LIX Bonnam me contuli, ubi ab Ill. Knodt, tunc Rectore magnifico civibus academicis adscriptus apud Ill. Naumann, illius temporis decanum spectatissimum, nomen professus sum studiosi medicinae.

Autumno a. h. s. LX Herbipolim petii, ibique ab Ill. Scherer, tunc temporis Rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus sum. Qua in urbe, quum per biennium scholis interfuissem medicis, mense Octobris a. h. s. LXII. morbo gravissimo implicatus usque ad mensem Februarii a studiis impeditus sum.

Denique, quum in patria vires restituissem, hanc almam litterarum sedem mense Aprilis a. h. s. LXIII adii atque a Rectore magnifico Ill. Volkmann in civium academicorum numerum relatus, apud Ill. Blasius, gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum, nomen professus sum. Hisce interfui scholis anno primo: Ill. Schultze de anatomia corporis humani. Ill. Weber et Schultze artem me docuerunt cadavera rite dissecandi. Ill. Schaffhausen de anthropologia encyclopaedia medicinae. Ill. Wutzer de herniis. Ill. Pluecker de physice. Ill. v. Calker de logice. Ill. Troschel de zoologia. Ill. Schacht de botanice. Ill. Noeggerath de mineralogia. Ill. Bischof de chemia. Exp. de le Valette de embryologia.

Herbipoli per biennium audivi disserentes. Ill. Kölliker de histeologia. Ill. Rineker de pharmacologia. Ill. Bamberger de pathologia et therapia. Ill. Schwarzenbach de chemia organica. Ill. de Scanzoni de arte obstetricia. Ill. Kolliker de physiologia, idem artem cadaverum rite dissecandorum me docuit. Beat. de Marcus de psychiatria. Scholis praeterea clinicis interfui medicis Ill. Bamberger.

Halis denique hisce interfui scholis: Ill. Blasius de akiurgia. Ill. Volkmann de anatomia. Ill. Welker de anatomia organorum sensuum. Scholis clinicis interfui: Ill. Blasius chirurgico-ophthalmiatricis, Ill. Weber medicis, Ill. Olshausen obstetriciis. Operationes chirurgicas me docuit Ill. Volkmann, obstetricias Ill. Olshausen.

Quibus viris optime de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias. Jam vero tentaminibus tam physico quam medico nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Chlorosis neque caussa ulceris ventriculi, neque ventriculi ulcus caussa chloroseos.

II.

Hydrocele incisione vel excisione tutissime sanatur.

III.

Plerisque in casibus, cur foetus in utero mortuus sit, statuendum non est.

IV.

In polyarthritide acuta glacies imposita optimum anaestheticum.